

**2000-08-10 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Perpetua Illa’****IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA  
ARCHIMANDRITAE AEMILIANO  
FABBRICATORE EGUMENO,  
EXARCO ORDINARIO MONASTERII EXARCICI  
SANCTA MARIAE CRYPTAE FERRATAE***

*Reverendissimo Patri  
Archimandritae Aemiliano Fabbricatore  
Egumeno Exarcho Ordinario Monasterii Exarchici  
Sanctae Mariae Cryptae Ferratae*

Perpetua illa perque profunda pietas, qua erga sanctissimam Iesu Christi ferimus Matrem, haud sane Nos sinit ullam maiorem eius praeterire celebrationem publicamve commemorationem. Quin immo quo saepius cognovimus nomen ipsius honoremque per Ecclesiam excoli, eo vehementius quidem et intus laetamur et celebrantibus ipsis veluti praesentes adesse cupimus.

Singulari propterea elati sumus gaudio, cum inter alia urbis Romanae iubilaria sollemnia accepissemus simili affectu in vestro Marialis nominis coenobio mox alium Geneticis beatae titulum dignam accepturum esse venerationem videlicet Nativitatis ipsius hoc anno in pervigilio incohandom eiusdem sollemnitatis.

Hanc nimur ob causam inter vos Venerabilem Fratrem Nostrum Achillem Silvestrini illorum rituum tempore personam vere Nostram gerere voluimus neque illud tamen satis cum haberemus, has addere placuit Litteras tamquam e manibus Nostris traditas, quibus et gratulari studemus huius praestabilis celebrationis auctoribus omnibusque participibus et Nostram consensionem testificari atque communem affectionem.

Quantum quidem possumus hortamur ut illuminatus Mariae Matris nostrae cultus in Christifidelium omnium animis roboretur, ut inde catholica vita et opera abunde nutriatur, ut denique universale Ecclesiae Magnum Jubileum hoc modo a coenobio Sanctae Mariae Cryptae Ferratae uberem fructum et impulsum recepisse videatur. Comitetur celebrantes Mariae Nativitatis omnes illic Benedictio Nostra Apostolica, veluti meritorum praemium ac novorum inceptorum Marialium incitamentum.

*Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**